DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LVCÆ ORTHODOX. MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XIV. NOVEMBRIS,

M. FRANCISCO PIIART, Doctore Medico, Moderatore.

An acutis venæ ſectionis quam purgationis vſus potior? 97°

A CVTORVM morborum non vnum eſt genus; nam & ſæuiunt ſine febre vt apoplexia & cholera venæ ſectione & frigidâ oppugnanda, & ſæpe febrem habent adiunctam vt variolæ & morbilli ignoti veteribus. Sic autem dicuntur qui celeriter continenter & vehementer mouentur, cuiuſmodi inducunt dignitas partis, inflammatio, maligna cacochymia à veneno diſtincta, & ſymptomatica μετάστασις. Habent initia ferè crebra metaptoſibus & orgaſmis ex pleniore humorum copia & ferina prauitate qua ſubito quaſi turbine afflati huc & illuc tumultuantur. Ab ortu primo ſtatim inualeſcunt, & rapido excurſu properant ad exitium potius quam ad ſalutem; niſi remediorum opera repreſſa feritate ἐκ μεταπτώσεως in aliam migrent morborum coloniam.

A CVTORVM parens humor multigeneris, maxime autem bilioſus & qui feruore ac putredine circum clauſtra ſua fremit. Ille modo ἐρεθισμῷ pruriens inſtar furentis in venerem animalis quoquouerſum debacchatur impatiens loci & quietis neſcius: aliàs apertis abſtruſus ductibus aut intimis ſuffuſus viſceribus obſtructionum auctor eſt & inflammationum. Ita vna eſſe nequit eorum medicina ſeu vacuandum, ſeu reuellendum & deriuandum, ſeu qualibet ratione medicandum. Nunc minuendæ cibis vires, nunc iniiciendæ furentibus humoribus compedes, nunc reuocandus eorum impetus & alio inflectendus, mutanda modò mala temperies, exhauriendæ venæ, expurganda illuuies, feritas demulcenda, viſcerum nitor & integritas promouenda.

O MNIS in venæ ſectione atque purgatione ſalus: cum illa plethoram, hæc cacochymiam exhauriat communes morborum cauſas προηγουμένας. Crudele non eſt cruentum licet præſidium ſanguinis vacuatio, cuius modus vicibus non eſt definiendus ſed vſu; qui magnitudine morbi & robore virium terminatur. Sanguinem ſatius eſt per vices quam vno ductu ad λειποθυμίαν fundere. In ſummis viſcerum ardoribus ab hydrope plus periculi ex vna quam ex decima aut duodecima ſanguinis detractione, ſuccedente ſcilicet maraſmo περιφρυγεῖ. Omnis eam fert ætas, temperamentum, regio, tempeſtas, & ipſæ quæ geſtant vtero mulieres. Cum nullus ferè ſit affectus cui non ſit proficua, acutorum ſingulare eſt auxilium.

I N miſſione ſanguinis artis induſtria exſplendeſcit, in purgatione Naturæ diuitiæ, quæ ad nitorem corporis noſtri procurandum ſoli ſtirpium generi virtutem impreſſit καθαρτικήν. Metalla delectu non purgant ſed vi fuſoria, ſeptica aut omnino venenata; vt acceptum ab eis beneficium idipſum ſit quod exitiali morbo debetur, cum per eum bonis maliſque humoribus exhauſti ſpecioſæ ſanitati reſtituimur. Ex catharticis quod turbas naturæ moueant, eligenda molliora, quæ viſceribus vtcunque blandiantur, & quæ crebro repetita nos vehementiorum tædio leuent. Raro incipientibus, vigentibus morbis nunquam exhibeantur neque per inflammationes internas. In diuturnis affectibus ſæpeſæpius propinanda atque in acutorum declinatione inducto humorum πεπασμῷ.

I N æqua purgandi corporis & vacuandi ſanguinis neceſſitate à phlebotomia tutiſſimo vtiliſſimóque præſidio auſpicandum. In Acutorum prioribus temporibus ſemper potior venæ ſectionis quam purgationis vſus. Phlebotomiam omiſiſſe pœnituit, profuit ſæpe purgationem diſtuliſſe. Cum in furias humores aguntur, cum omnia intus permiſcent, conturbant & fœdant; cum æſtuant viſcera & flammam accipiunt; cum genitalem partium ſuccum vſtulator ignis deprædatur; ab epoto cathartico plurima quidem ſúſque déque profunduntur nullo ſolatio, graui noxa. Sed apertis ſupernarum infernarum partium venis frænatur humorum orgaſmus, æſtus viſcerum temperatur, repreſſa putredine auertitur inflammatio, omnia ſubducto morbi pabulo tepeſcunt, & leuata oneris parte natura deinceps in pepaſmum ſuperſtitis humoris feliciter incumbit.

Ergo acutis venæ ſectionis quam purgationis vſus potior.

Proponebat Lutetiæ IOANNES BAPTISTA MOREAV Pariſinus. A.R.S.H. M.DC. XLVII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. TVSSANVS FONTAINE.
M. FRANCISCVS PAIOT.
M. FLORIMONDVS LANGLOIS.

M. CLAVDIVS LE VASSEVR.
M. DIONYSIVS IONCQVET.
M. IACOBVS GAVOIS.

M. CLAVDIVS DE POIS ordinarius Reginæ magnæ Britanniæ Medicus.
M. PETRVS LE COMTE.
M. GVILLELMVS DE VAILLY.